



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 100. Galeati Carracioli a vera fide defectio, ejusque Genavam secessus,
ac mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Declamatoris officio ab anno salutis no- **Sæcul. XVI.**
 stræ millesimo quingentesimo quadra- **A.C. 1586.**
 gesimo secundo usque ad annum mille-
 simum quingentesimum septuagesimum
 quintum fungebatur, ac Bullingero suc-
 cedebat, nominatus primus præfatæ
 Ecclesiæ Protestanticæ Ministellus. Hic
 præter suas Homilias, ad quas consar-
 cinandas aptus videbatur, commenta-
 rios scripsit in Psalmos, Isaiam, duo-
 decim Prophetas minores, tres primos
 Evangelistas, actus Apostolorum, &
 in epistolam ad Romanos: præterea
 Theodoreti sermones de Providentia la-
 tine reddidit præter alia Historica, &
 liberalium artium opuscula.

§. C.

*Galeatii Caraccioli a vera fide defe-
 ctio, ejusque Genevam secessus,
 ac mors.*

Pariter hoc anno Genevenses quemdam **Thn. l. 84.**
 lugebant nobilem natione Italum, **Spon. hist.**
 qui relictis suis bonis, & patria hære- **de Genev.**
 ticam pravitatem amplexurus Genevam **tom. 2. l. 3.**
 secessit. Is erat Galeatius Caracciolus **p. 52.**
 Vici in Neapolis Regno Marchio, ac Fi. **Leti hist. de**
 lius Nicolai Antonii Caraccioli, qui **Genevs.**
 in Italiae bellis animi fortitudine conspi-
 cuus Matrem habebat, quæ Joannis
 Petri Caraffæ Cardinalis, ac postea
Hist. Eccles. Tom. L. Ff sum-

Sæcul. XVI. summi Pontificis sub nomine Pauli IV.
A. C. 1586. foror erat: Galeatus vero in Caroli V.,
& Philippi II. Aula educatus utriusque
Principis benevolentiam promereba-
tur: verum a Petro Martyre, qui Nea-
poli in secretis conventiculis hæresin
suam spargebat, infeliciter seductus
quærebat quandam occasionem itineris,
quod sui Officii ratio in Germaniam,
ubi Carolus V. ejus opera indigebat, su-
scipiendum suaserat, hinc Patrem, u-
xorem, suosque liberos reliquit, ac
Genevam secessit, quo etiam mense Ju-
nio anno salutis nostræ millesimo quin-
gentesimo quinquagesimo primo perva-
nit: equidem eo nondum adventante a
nonnullis in vulgus spargebatur, illum
nonnisi exploratorem fore: verum fa-
miliare illius cum hæreticis confortium,
moresque ad honestatem compositi bre-
vi hujus famæ falsitatem prodidere,
unde ab omnibus magni habitus, atque
a publicis curis, aliisque cujuscunque
generis molestiis semotus nonnisi pau-
corum amicorum societate fruebatur,
inter quos arctiorem cum Calvinio Hæ-
resiarcha amicitiam fovebat: cum vero
jam quartum annum Genevæ hæreret,
civitatis jure a Senatu honoratus, ac
demum ducentorum Consulum Senati,
necnon curiæ, quæ ex sexaginta Sena-
toribus constat, adscriptus rem eo de-
ducebat,

ducebat, ut Genevæ pro Italica Natio- **Sæcul. XVI.**
ne perpetuo jure Ecclesia congregare- **A.C. 1586.**
tur, pro qua sanctæ Magdalenæ Tem-
plum assignabatur, ibidemque sermo-
nes Italico idiomate habebantur.

Dum interea hæc gerebantur,
ipse Galeatius iter in Italiā instituit,
ubi quantocius cum suo Patre, & po-
stea cum sua uxore colloquebatur, nec
tamen Patris reverentia, nec conjugis
amor, aut liberorum blanditiæ eum ad-
ducere potuerunt, ut ejuratæ veræ fi-
dei propositum mutaret, aut in Italia
persisteret: quinimo Genevam reversus
se a sua conjuge divortio separatum men-
tiebatur, moxque circa suum ad secun-
das nuptias transeundi propositum Mi-
nistellos consuluit, qui eidem alteram
uxorem ducendi facultatem conceffe-
runt: unde Galeatius adulterino con-
fortio sibi jungebat quamdam quadragin-
ta annorum viduam nomine Annam
Fermeriam, quæ post primi Mariti sui
obitum Rothomagum patriam suam re-
ligionis caussa reliquerat, quacum Ga-
leatius conjunctissime vixit usque ad
sexagesimum octavum ætatis suæ an-
num, quo Genevæ infelicem exhala-
bat animam.